

00

0002

T. o. 366.

MARTINUS
SALAMONII

PATRITII ROMANI

DE PRINCIPALI

LIBRO

DE RE PUBLICA

LIBRO PRIMO

DE RE PUBLICA

LIBRO PRIMO

DE

RE PUBLICA

LIBRO

PRIMO

DE

RE PUBLICA

LIBRO


PRIMO

Excusum in typographia Universitatis Lipsiae

anno salutis mdcclxxv

die 15 mensis Junii





PONTIFI-
CVM ALIQVOT
ROMAN.
CHRISTI VICARIORVM
EXEMPLA
CVM
ETHNICORVM PRIN-
CIPVM GESTIS
COMPARATA.



Anno M. D. LXXVI.

42

P O N T I F I C A T U S

C V M A L I O V O T

R O M A N

C H R I S T I V I C T O R I A M

E X E M P L A

C V M

E T H N I C O R V M F I D E M

C I R C V M G E S T I S

C O M P A R A T A


1773

9

ANNO 1773



IO. TILIVS LE-
CTORI SINCE-
RO ET DOCTO
S. P. D.

 OGOR tibi, amice, prudens-
que lector, propositum aperire
meum. Sunt aliquot iam men-
ses, quod cogitavi has antithe-
ses edere, sed locupletiores; ita
ut omnia Pontificum gesta haberent è regio-
ne suas antitheses. verum quum viderem
opus esse multi laboris; propter meas non
minimas illas quidem, molestas certe oc-
cupationes, praetermisi. Quod si Deus Opt.
Max. otium suppeditabit, fortasse aliquan-
do perficiam; vel aliquis me eruditior, et o-
tiosior copiosius, meliusque supplebit. Interea
volui tibi specimen exhibere; ut ex hoc et
reliqua possis cognoscere. Nam si videbo
doctis, candidisque rem gratam fecisse; ad-
dent animum ut ad cetera me parem. Or-
dinem autem quem observavi, volo, ut ni-
hil te fugiat, tibi quoque indicare. Exempla
pontificum sumpsit potissimum ex Platina,

quem penes me habeo excusum olim anno
M C C C L X X I X. III. Idus Iunij, im-
pensa Ioannis de Colonia Agrippinēsis (sic
est in libro) eiusq; socij Ioannis Mathen de
Gheretzem. Atq; hac iccirco dixi, ne ali-
quis causetur usum fuisse me minimè fi-
deli exemplari. nam audio in his Platinis
qui nunc, vel paulò antè cuduntur, multa
fuisse decurtata, multa quoq; immutata.
Deinde ubi Platina deficit (scripsit enim
ille usq; ad Pauli I I. tempora) excerpse ex
Paulo Iouio Episcopo Nucerinò, auctore in
ijs non suspecto. Vnum vel alterum exem-
plum à Ioanne Stella, & Baptista Fulgoso
sum mutuatus; aut quòd Platina factum
non enarrat, aut quòd non enarrat. adeò
dilucidè. Præterea accepi à Pandulfi Colle-
nutij historia, quam de regno Neapolitano
scripsit, duo duntaxat de eodē Urbano V I.
exempla: qui quidem liber editus Italicè
est, Venetijs per Michaelē Tramezinum,
ad insigne Sibyllæ, anno M D X L I I I.
conuersa verò fuere Latinam in linguam,
ut arbitror, fideliter. Nam si extrà addi-
tum offendas, Actum papale; scias velim,
mi lector, sic reperiri in libro Venetijs edito.
Observaui enim diligentissimè nihil de meo
pone-

ponere; ne aliquis cauillari possit, me vel odio, vel amore plus vni, quàm alteri vel fauere, vel aduersari. Simile additum eundem apud auctorem reperies, eodem libro, folio cxxiiij. vbi loquitur de Clemente V I. his verbis; Scribit etiam Henricus Gudelfingen Cōstantiensis in Chronicis Austria, Carolum consuluisse papam Clementem, quid de Corradino facere deberet: Clementem autem hac respondisse verba, VITA CORRADINI MORS CAROLI, MORS CORRADINI. VITA CAROLI: est ibi extranotatum, O sancta sententia. Et libro V. vbi de eodē Clemente istac loquitur: Clemens autem quum Avinione esset, vt Ludouici partibus faueret, cōcessit Neapolitanis, qui sibi adhærebant, vt cuncta ecclesiarū vasa tum aurea, tum argentea cuderent, venderentq̄, vt equitibus Ludouici stipendium dari potuisset. ibi, id est, folio clviij. extrā inuenies scriptum, Bona conscientia papalis. Adduxi etiam Aeneæ Syluij, qui Pius II. papa est, testimonium: vbi si additum à me videbis aliquid, id scias factum esse, vt historia exitus appareat. Quū enim nihil de illius fracti fœderis euētu à Pio, propter

breuitatem accepissem; equum videbatur
ut nos ostenderemus. Est quoq; à me addi-
tum in Clemente VII. ubi Iouius manife-
stissimè adulando, Paucissimorum, ait, pœ-
na contentū fuisse Clementem: equum e-
nim videbatur, lectorē admonere de re ad-
eò liquida & manifesta: cuius quidem rei
testes adhuc plurimos superesse, obscurum
est nemini. In Leone porrò X. lectorē reieci
ad Augustinū Niphum; qui quidē factum
& festinè narrat, & etiam aliquantò di-
uersius. Sic suprà etiam in Alexandro VI.
monuerā Macchiauellum à Iouio dissentire.
Neq; verò istac omnia à me vel malitiosè
facta, vel temerè arbitraris, volo; nisi, ut di-
cebā, ad historiae obscuritatē explicandam.
Itaq; vides perspicuè prudens, ac integer
lector, nihil à me positū, quod non apud eos
" auctores habeatur, qui à Romanis pontifi-
" cibus sunt probati. Si enim ex alijs collegis-
" sem, maior ceriè fuisset copia, at fides mi-
" nor. Scio etenim quāfacilimè obijci queat,
Recens est, suspectus, cōmotus, perturbatus.
etiam impius. quæ quidē de his auctoribus,
quibus vsi sumus, nequaquam dici potest;
& si dicatur, quid respōdendum sit, tuo re-
linquitur iudicio. Atq; hac de pontificibus
sint

sint dicta. In oppositis autem ex aduerso e-
xempla adferre curauimus non Christia-
norum hominum, non saltem philosopho-
rum, quorū quidem maxima fuisset copia;
sed impiorum, ac præcipuè regum, milita-
riumq; hominum: qui quidem putant sibi
omnia licere, quacumq; placent. Si enim
Christianorum usus essem exemplis, dice-
retur continuo, At quid mirum hoc? homo
fuit Christianus. Nunc autem quum cer-
namus opponi impiū, discrimen fit clarius.
Ut, exempli gratia, ubi de Alexandro VI.
Iacobus SannaZarius dicit (quem admodū
etiam constans est fama, & ab alijs quo-
que est traditum) propriam cognouisse fi-
liam; ex aduerso spectabis alterum Ale-
xandrum, atque poteris utrumque hoc
modo comparare: Ille Christi vicarius, pon-
tifex maximus; hic autem impius, milita-
ris, rex. Ille senex, hic iuuenis. Ille filiam
amplecti est ausus; hic ab aliena muliere se
abstinuit. Idem pariter facere poteris de
Leone X. & eodem Alexandro Magno. Et
Iouius quidem concedit Leoni obscenum,
detestabile, nec nominandum vitium; id
quod Alexander adeo turpe, & execran-
dum existimauit. Nam quod SannaZario

in hoc usi sumus (de Alexandro loquor
V I.) puto nobis omnino permittendum,
quum auctor sit & elegans, & neutiquam
suspectus. Idem facies & cum reliquis. Por
rò autem de auctoribus, ex quibus opposita
exempla descripsimus, nulla accidit con
trouersia, aut dubitatio; sunt enim omni
bus aequè accepti, & approbati. Ita fit ut
nobis nihil, mea quidem sententia, adscri
bi queat, nisi nò aptè, congruenterq; exem
pla adposuisse; ac ea omissa, qua fortasse e
rant accommodatiora. Quod quidem ut
non inficiamur, ita rogamus veniam no
bis benignè dari. Et quidem præter quàm
quòd Nò omnia possumus omnes, nec
vnus vir valeat omnia videre; sunt etiã
iudicia humana adeò diuersa, ita ut quod
mihi videtur aptè congruere, tu aliter sen
tias: & quod probas tu, ab altero improbe
tur. Mihi istæc in mentem venerunt, qua
et visa sunt huic negotio quadrare: si idem
tibi non videbitur, poteris meliora inue
nire. Quod superest, sapiens & modeste le
ctor, lege attentè omnia, considera diligen
ter, conser, comparaq; postea accuratè,
ac demum iudicium interpone
tuum. Vale.

'S A-

PONTIFICVM ROM. ET
ETHNICORVM PRINCI-
pum Comparatio.

SABINIANVS.



Abinianus, cuius patria ignora-
tur, ac meritò quidem, Gregorio
successit. Homo enim obscuro lo-
co natus, obscurior moribus, re-
bus gestis Gregorij viri sanctissi-
mi aduersatus est. Nam quò suo pontificatu fa-
me laboraretur, instarentq; pauperes, vt pieta-
tè Gregorij eleemosynis imitaretur; nil aliud
respondebat, quàm Gregorium popularem fa-
mam aucupantem patrimonium ecclesiæ dis-
sipasse. Paululum etiam abfuit, quin libri eius
comburerentur; adeò in Gregorium ira & in-
uidia exarserat homo maleuolus. *Platina.*

C. IVLIVS CÆSAR.

*Sed & statuas L. Syllæ, atque Pompeij à plebe discer-
etas, reposuit. Suetonius in Cæsar.*

*Sed postquam Cæsar victoria potitus deiectas Pom-
peij statuas honorificè restituerat, loquens de illo Cice-
ro dixit, Cæsarem in erigendis Pompeij statuis, suas
firmare. Plutarchus lib. Apophthegmatum re-
gum & imperatorum.*

LEO III.

Rediens deinde in Italiam, adiuuante Papi-
no rege, mandato patris, de coniuratis quibus-
dam, & seditiosis, non sine clementia, suppli-
cium sumpsit. *Platina.*

2 P O N O. E T E T N H.

C. I V L. C Æ S A R.

Denique tempore extremo, etiam quibus nondum ignouerat, cunctis in Italiam redire permisit, magis stratusq, & imperia capere. Suetorius in Cæs.

S T E P H A N V S V I.

Stephanus VI. patria Romanus, Anagninus episcopus, pontifex creatus tanto odio persecutus est Formosi nomē, vt statim eius decreta abrogauerit, res gestas resciderit. Licet quidam scribant ipsum Stephanum episcopatum Anagninæ à Formoso consecutum fuisse. Sed ego arbitror hoc odium ex ambitione ortum fuisse, quum iam eò deuenissent ecclesiastici, vt non coacti, vt antea, sed sponte, & largitionibus pontificium munus obirent. Hinc odium ortum est, quo etiam in mortuum Stephanus sæuiebat, quod ei antea impedimento fuisset, quom minus optata sede potiretur. Refert Martinus scriptor, Stephanum tanta rabie desæuifse, vt habito concilio, corpus Formosi è tumulo tractum, pontificali habitu spoliatum, indutumque sæculari, sepulturæ laicorum mandauerit, abscissis tamen dexteræ eius duobus digitis, illis potissimum, quibus in consecratione sacerdotes vtuntur, in Tyberimque proiectis: quod, vt ipse dicebat, contra iura sacramenti Romam, & sacerdotium repetisset, quo à Ioanne VIII. iure spoliatus fuerat. Magna fuit hæc controuersia, & pessimi exempli, quum postea ferè semper seruata hæc consuetudo sit, vt acta priorum pontificum sequentes aut infringent, aut omnino tollerent. *Platina.*

M A R.

COMPARATIO. 3

MARCELLVS.

Annibal ubi Marcellum cecidisse nuntiatum est, ceteris paruifactis ad locum cædis aduolat. Vbi cadas uer nactus, diuq; formam, roburq; membrorum contempletus, nihil aut voce superbum, aut vultu lætus emisit, quemadmodum nonnulli tam indomito, tãnaque difficili cæso fecissent hoste: Verùm necis indignitatem admiratus, ei dempsit annulum. inde corpus splendide ac magnifice ornatum cremauit. postea reliquis argentea in vrna conditis, coronam impenens auream, filio mittere curauit. Plutar. in Marcello.

ANTIGONVS REX.

Cuius (Pyrrhi) tam mitis ingenij debitum frustum ultimo fati sui tempore recepit. Nam quum diris auspicijs Argiuorum inuasisset urbem, abscissumq; caput eius Alcyoneus Antigoni regis filius ad patrem pro pugna tum laborantem, lætus velut aliquod felicissimum victoriæ opus adtulisset, Antigonus correpto iuvene, quòd tanti viri subitæ ruinæ, immemor humanorum casuum, effuso gaudio insultaret: humo caput sublatum, causea qua velatum caput suum more Macedonum habebat, texit, corpusque Pyrrhi redditum, honoratissimè cremandum curauit. Quin etiam filium eius Helenum captiuum ad se pertractum, & cultum & animum regium gerere iussit: ossaque Pyrrhi ei aurea inclusa vrna, Epeirum in patriam ad Alexandrum fratrem portanda curauit.

Val. Max. lib. v. cap. i.

4 PONT. ET ETHN.
M. ANTONIVS.

Marci autem Antonij animus talis humanitatis intellectu non caruit. Marci enim Bruti corpus liberato suo sepeliendum tradidit, quoque honoratius cremaretur, injici ei suum paludamentum iussit, iacentem non hostem, sed ciuem deposito existimans odio. Valerius ibidem

BENEDICTVS III.

Idem etiam accidisse pontificali dignitati dicere possumus. Sanctitate enim, & doctrina, quæ non nisi magnis laboribus, consumataque virtute comparantur, pontificium decus sine vllis opibus primùm quidem auctum est inter tot hostes, & obstinatos persecutores Christiani nominis: mox verò vbi cum ipsis opibus lasciuire cepit ecclesia Dei, versis eius cultoribus à seueritate ad lasciuiam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo principe flagella hominum tum cohercente, hæc monstra, hæc portenta, à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata est potius, quam possessa. Platina

SELEVCVS.

At regnum quod inter reip. formas & perfectissimū, maximumque est, quot labores & negotia exhibet? Sanè multos dices. nam Seleucum sæpius dicere solitum ferunt, Si nouissent multi, quàm sit operosum, & molestum tot dumtaxat literas scribere, legereque, diadema etiam abiectum ante pedes ne subleuarent quidem. Plu. lib. Num seni sit ger. Resp.

SER.

COMPARATIO. 5
SERGIUS III.

Sergius III. patria Romanus, patre Benedicto, pontificatum iniens, basilicam Lateranensem, quæ tum corruerat, restituit, Christophorum è monasterio tractum in vincula coniecit. Rebus deinde confirmatis, in Gallias profectus, Lotharij gratia, & amicicia fultus, qui tum regnabat, in Italiam rediens, & Christophorũ arctiore custodia reuinxit, & Formosi acta ita improbauit, vt denuo ad sacros ordines eos admittere necesse fuerit, quos Formosus antea sacerdotali ordine dignos censuerat. Neque hanc quidem ignominiam mortuo intulisse contentus, eius cadauer è sepulcro tractum, capitali supplicio, ac si viueret, afficit, corpusque ipsum in Tyberim proijcit, tanquam sepultura, & honore humano indignum. Ferunt piscatores corpus ipsum inter piscandum repertũ ad basilicam Petri detulisse, atque dum funus celebratur, sanctorum imagines; quæ in templo locatæ erant, corpus ipsum veneratas fuisse, & ob eam rem creditum esse, Formosum iniuria quidem tali ignominia affectum fuisse. Sed factum ne sit hoc à piscatoribus, haud satis constat: viuentem præsertim Sergio, qui Formosi factionem persequebatur, quòd antea ei impedimento fuerat, quò minus pontificatum consequeretur. Vide, quæso, quantum isti degenerauerint à maioribus suis. Illi enim, vt pote viri sanctissimi, dignitatem vltro oblatam contemnebant, orationi & doctrinæ Christianæ vacantes: Si verò largitione pō.

8 PONT. ET EHN.

tificatum quærentes, & adepti, posthabito diuino cultu, inimicitias, non secus ac sæuissimi quidam tyranni inter sese exercebant: suas voluptates postea securius expleturi, quum nullo extarent, qui eorum vitia cohercerent.

Platina.

ALEXANDER.

Quibus Alexandro nunciatis, ad corpus demortui (Darcij) perueniens, tam indignam illo fastigio mortem lacrimis prosecutus est. demptaq; sibi clamyde corpus illius contexit, atque regio ornatum cultu, ad matrem Sysigambim patrio, regioq; more sepeliendum, atque regijs maiorum suorum tumulis inferendum misit. Q. Curtius lib. V.

ANNIBAL.

Facta mentione acerrimi hostis, mansuetudinis eius operibus, quam Romano nomini præstitit, locum, qui inter manus est, finiam. Annibal enim Emiliij Pauli apud Cannas trucidati quæsitum corpus, quantum in ipso fuit, inhumatum iacere passus non est. Annibal Tiberium Gracchum Lucanorum circumuentum insidijs cum summo honore sepulture mandauit, & ossa eius in patriam portanda militibus nostris tradidit. Annibal M. Marcellum in agro Brutio, dum conatus Pænorum cupidius, quam consideratius speculatur, interemptum legitimo iure extulit. Panico quoque sagulo, & corona donatum laurea, rogo imposuit. Ergo humanitatis dulcedo etiam in efferata barbarorum ingenia penetrat.

C O M P A R A T I O 7

penetrat, orbosq; & truces hostium mollit oculos, ac
 victorie insolentissimos spiritus flectit. Nec illi arduū,
 aut difficile est inter arma contraria, inter districtos
 comminus mucrones, placidum iter reperire. Vin-
 cit iram, prosternit odium, hostilemq; sanguinem hostia
 libus lacrimis permiscet: atque etiam admirabilem An-
 nibalis vocem, pro funeribus Romanorum ducum ara-
 bitria statuentis expressit. quia aliquantò ei plus glo-
 riæ Paulus, & Marcellus sepulti, quam oppressi adtule-
 runt. & cætera quæ addit. Valer. Max. lib. v. cap. 1

I O A N N E S XII.

Ioannes XII. patria Romanus, de via La-
 ta, patris Albrici potentia fretus, pontificatum
 occupat. & infra. Hac quidem indignitate moti
 duo cardinales literis Othonem obsecrant, vt
 clerum, populumque Romanum è manibus
 Berengarij, Ioanisque XII. vindicare conetur,
 aliter Christianã fidem vnã cum imperio peri-
 turã. & infra. Interim verò dum Otho expecta-
 retur, re per indices patefacta, Ioannes ponti-
 fex cardinales ipsos capit, & huic nasum, illi ve-
 rò manum abscindit. & post pauca. Otho autẽ
 composito aliquantulum statu ciuitatis, cum
 Ioanne secreto collocutus, hominem primò
 blandè appellando, à flagitijs deterrens, ad vir-
 tutem adhortabatur. Verum quum nequa-
 quam moueri è sententia eum cerneret, ad mi-
 nas conuersus consilium indicit, conuocatis
 episcopis Italiæ, quorum iucidio vita sceleratif-
 simi hominis diiudicaretur. Is itaq; iudiciũ be-
 ne-sentientiũ reformidãs in Hernicos aufugit,

8 PONT. ET ETHN.

in siluisque, more feræ, aliquandiu delituit. Hanc ob rem Otho, persuadente clero, Leonem Romanum ciuem, Lateranensis ecclesiæ scriniarium, pontificem creat. Verùm abeunte imperatore, Ioannis cognati, & clientes, pulso Leone, Ioannem ipsum reuocant: quem quidem diuinitus eisdem fermè diebus perijsse creditum est, ne ecclesia Dei perniciofa seditione iam gliscescente labefactaretur. Sunt qui scribant, hunc sceleratissimum hominem, vel hoc monstrum potius, in adulterio deprehensum & confossum, interijsse. *Platina.*

ALEXANDER SEVERVS.

Quum quidam Ouinius Camillus senator, antiquæ familiae, delicatissimus rebellauisset, tyrannidem affectans, eiq; nunciatum esset, ac statim probatum, ad palatium eum rogauit, eiq; gratias egit, quòd curam reipub. quæ recusantibus bonis imponeretur, sponte reciperet. Deinde ad senatum processit, & timentem, ac tantæ conscientie tabe confectum, participem imperij appellauit, in palatium recepit, conuiuio adhibuit, ornamentis imperialibus, ac melioribus quàm ipse utebatur, affecit. & quum expeditio barbarica esset nuntiata, vel ipsum, si vellet ire, vel vt secum proficisceretur, hortatus est. & quum ipse pedes iter faceret, illum inuitauit ad laborem, quem post quinque millia cunctantem equo sedere iussit. quumq; post duas mansiones etiam fatigatus esset, carpento imposuit. hoc quoque seu timore, seu verè respicientem, & abdicantem quin etiam imperium, & mori paratum, dimisit, commendatumq; militibus, à quibus Alexander vnice

C O M P A R A T I O. 9

Unicè amabatur, tutum ad villas suas ire præcepit.
Ælius Lampridius.

S C I P I O A F R I C A N V S.

*Captiua deinde à militibus adducitur ad eum adul-
ta virgo, adeò eximia forma, vt quacunque incedes-
bat, conuerteret omnium oculos. Scipio percontatus
patriam, parentesq̃, inter cætera accepit eam despon-
satam principi Celtiberorum adolescenti, cui Allucio
nomen erat. Extemplò igitur parentibus, sponsoq̃ ab
domo accitis (quò interim audiret deperire eum spon-
sæ amore) vbi primùm venit, accuratiore eum sermo-
ne, quàm parentes, alloquitur. Iuuenis, inquit, iuue-
nem appello, &c. & post pauca; Fuit sponsa tua apud
me eadem qua apud soceros tuos, parentesq̃ suos, ve-
recundia: seruata tibi est, vt inuiolatum & dignum
me teq̃ dari tibi dona posset; & reliqua quæ adiu-
git. Titus Liuius Decadis III. lib. VI.*

B O N I F A C I V S V I I.

*Bonifacius VII. cuius cognomen, & patria
ob ignobilitatem, credo, reticetur, pontifica-
tum malis artibus adeptus, malè etiam amisit.
Nam inito magistratu, conspirantibus simul
bonis ciuibus, relinquere vrbem coactus, pre-
tiosissima quæque è basilica Petri subtrahens,
Constantinopolim confugit. Vbi tam diu sub-
stitit, quoad diuenditis quæ sacrilegio abstu-
lerat, magnam vim pecuniarum comparasset
quibus tamquam adminiculis occupandæ ty-
rannidis fretus, vrbem repetit, ciues Romanos*

B

10 PONT. ET ETHN.

largitione corrupturus. Obstabant conati-
 bus suis viri boni, maximè verò Ioannes dia-
 conus Cardinalis; quem captum, adiuuanti-
 bus quibusdam perniciosis hominibus, oculis
 statim priuauit. Atque ipse tantorum malo-
 rum auctor, gliscescente maiorem in modum
 seditione, siue timore, siue pœnitentia patrati
 sceleris, vitam finiuit. Vide, quæso, quantùm
 degenerauerint ij pontifices à maioribus suis,
 qui hanc rempubl. Christianam tam amplam,
 tamque magnificam suo sanguine nobis reli-
 quere. pontifex Romanus, sacrorum pater, &
 rex, sacra ipsa furto abstulit; & qui vindicare
 sacrilegia debuerat, tanti sacrilegij factus est
 auctor. Hoc autem contingere in quauis re-
 pub. consuevit, quando plus malorum ambi-
 tio, & auaritia valet, quàm bonorum virtus, &
 grauitas. In clerum igitur eligendū essent, quo-
 rum vita, & doctrina probata sit; non autem ij,
 qui quum nil virtutis, & religionis habeant,
 ambitione, & largitione sibi potentiam quæ-
 runt. *Ex eodem.*

M. C V R I V S.

Ille enim Samnitum diuitias contempsit, Samnites eius paupertarem mirati sunt. Nam quum ad eum magnum auri pondus publicè missum adtulissent, benignis verbis inuitatus vt eo vti vellet: vultum risu soluit, protinusque, Superuacaneæ, inquit, ne dicam ineptæ largitionis ministri, narrate Samnitibus, M. Curium malle locupletibus imperare, quàm ipsum fieri locupletē: atq; istud vt pretiosum, ita malo hominum

COMPARATIO. II

num excogitatū munus refertote, & mementote me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse. Idē quū Italia Pyrrhum regem exegisset, nihil omnino ex præda regia, qua exercitum, urbemq; ditauerat, attigit. decretis etiam à senatu septenis iugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit: parum idoneum P. R. ciuem existimans, qui eo quod reliquis tribueretur, contentus non esset. Valerius Maximus libro III. capite tertio.

PAVLVS ÆMILIVS.

At Perse rege deuictō Paulus quum Macedonicis opibus veterem atque hereditariam vrbis nostræ paupertatem eò vsque satiasset, vt illo tempore P. R. tributū præstandi se onere liberaret, penates suos nulla ex parte locupletiores fecit. præclarè secum actum existimans, quòd ex illa victoria alij pecuniam, ipse gloriam occupasset. Val. Max. ibid.

PASCHALIS. II.

Pacata autem hoc modo Romana ecclesia, Paschalis vir magni ingenij, atque animi à religione ad arma cōuersus, adiuuante Rogerio, urbem Castellanam, & Beneuentum occupatum ab hostibus recipit. Interim verò Petrus Columna, Romanus ciuis, impellēte Ricardo Campano comite, cuius maximè intererat copias pōtificis distrahere, Cauas occupat, pontificiē ditionis oppidū. Hanc ob rem pōtifex in

eum mouens, non solùm Cauas recipit, verùm & Zagarolum, & Columnam, paternæ hæreditatis castella ei abstulit. *Et infra.* Stephanus enim Corfus Montem altum, & Ponticlum de ea parte Etrurię, quam nunc Principis apostolorum patrimonium vocant, cœperat, præfidijsque muniuerat, vnde frequenti incurfione omnia circumquaque vexabat. Quem pontifex insecutus ex altero castello deiecit, alterum vi capere nõ potuit, natura loci obstante, & hyeme, quæ iam appetebat. *Et post multa.* Nam quum Albæ esset, intellexissetque Petrum Leonis, ecclesiæ fautorem, in edibus suis ab aduersa factione oppugnari; eò properè Ptolemæum mittit ab Aricia accitum, cum satis valida manu: qui pulsos in Transtyberinam regionem aduersarios partim interfecit, partim cœpit, ac per municipia custodiendos diuisit. *Et paulò post.* Paschalis autem absoluto conuentu, ex Apulia Romam cum copijs Normandorum rediens, & multa oppida ab hostibus occupata recepit, & Præneste Caloioannis imperatoris Constantinopolitani, qui patri Alexio successerat, oratores libenter audiuit. *Ex eodem.*

P R O B V S.

His addidit dictum eius graue, Si vnquam eueniet salutare Reipubl. breui milites necessarios non futuros: quod ille conceperat animo, qui hoc dicebat. Flauius Vopiscus.

O T H O.

Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis,
tere

C O M P A R A T I O. 13

tertiædecimæ legationis tribunus Augusti clauius. Is
mox referre crebrò solebat, Othonem etiam priuatum
vsque adeò detestatum ciuilia bella, vt memorante
quodam inter epulas de Cassij, Bruti que exitu, cohor-
ruerit, neque concursurum cum Galba fuisse, nisi con-
sideret sine bello rem transigi posse. Tunc ad despi-
ciendam vitam exemplo manipularis militis concita-
tum: qui quum cladem exercitus nuntiaret, nec cuius
quam fidem faceret, & nunc mendacij, nunc timoris
quasi fugisset ex acie argueretur, gladio ante pedes e-
ius incubuerit: hoc viso proclamasse eum aiebat, Non
amplius se in periculum tales tamq̃ benemeritos con-
iecturum. Suetonius,

N V M A P O M P I L I V S.

Ad hæc consideranda, procurandaque, multitudi-
ne omni à vi & armis conuersa, & animi aliquid a-
gendo occupati erant, & deorum assidue insidens cur-
ra, quum interesse rebus humanis cæleste numen vis-
deretur, ea pietate omnium pectora imbuerat, vt fides
ac iusiurandum, propulso legum, ac pœnarum metu,
ciuitatem regerent. & quum ipsi se homines in regis,
velut vnici exempli, mores formarent, tum finitimi
etiam populi, qui antè castra, non urbem positam in
medio ad sollicitandam omnium pacem crediderant,
in eam verecundiam adducti sunt, vt ciuitatem tot-
tam in cultum versam deorū, violari ducerent nefas.
Titus Liuius Decadis primæ lib. I.

H O N O R I V S II.

Vnum tamen suis temporibus accidit, quod
nequaquam probandum est. Arnulphus enim

4 PONT. ET ETHN.

Christianę religionis prædicator egregius, clericorum insidijs Romę necatur; quod acerbè nimium in eorum lasciuiam, & libidinem inueheretur: quodque eorum pompam, & in comparandis diuitijs nimium studium improbaret: paupertatem Christi, & integerrimam vitam ad imitationem omnibus proponens. Hunc multi ex nobilitate Romana tamquam verum Christi discipulum, & prophetam sequebantur. *Idem.*

TIBERIVS.

Sed aduersus conuicia, malosque rumores, ac famosa de se, ac suis carmina, firmus, ac patiens subinde iacebat, In ciuitate libera, linguam, mentesque liberas esse debere. Et quondam senatu cognitionem de eiusmodi criminibus, ac reis flagitante, Non tantum, inquit, otij habemus, vt implicare nos pluribus negotijs debeamus. si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis: omnium inimicicia, hoc prætextu, ad vos deferentur. Suetonius.

ALEXANDER III.

Altera verò quę secuta est dies Federicus Venetias venit, & pacem à filio confectam hoc modo approbavit: vt Roma, & quę ditionis erant ecclesiasticę pontifici restituerentur: & quidquid ille pro perpetrata culpa iniungeret, patienter perferret. Isto igitur fœdere inito, Alexander summus pontifex confestim ad ianuas templi diui Marci euangelistę accessit,

&

C O M P A R A T I O. 15

& ibidem, vniuerso adstante populo, imperatori iussit, vt se humi prosterneret, & veniam denuo expostularet. Quo facto, Alexander pontifex imperatoris collū pede comprimens, ait, Scriptum est, Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. At Federicus, Non tibi, inquit, sed Petro, cui suecessor es, pareo. & summus pontifex respondit, Et mihi, & Petro: ac sic inter imperatorem, & summum pontificem pace composita, &c. Ioann. Stella.

M A X I M I N U S I V N I O R.

Nam in salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, & genua sibi osculari patiebatur, nonnumquam etiam pedes: quod numquam passus est senior Maximinus, qui dicebat, Dij prohibeant, vt quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat. Iulius Capitolinus.

O C T A V I V S.

Domini appellationem vt maledictum, & opprobrium semper exhorruit. Quum spectante eo ludos pronuntiatum esset à mimo, O dominum æquum, & bonum, & vniuersi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent: statim manu, vultuq; indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimè corripuit edicto: dominumque se posthac appellari ne à liberis quidem, aut nepotibus suis vel seriò, vel ioco passus est, atq; huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Suetonius.

I O A N N E S. ~~A.~~ XXII.

Abeunte præterea in Germaniam Bauaro, re omni infecta ad imperium spectante, Bonifacius Pisanus comes rem gratam Ioanni Pontifici factururus, antipapam Auinionem perducit; ubi in carcerem coniectus, vitam cum morte permutauit. Tum verò pontifex duabus maximis curis liberatus, quòd antipapam è medio sustulerat, quodq, Bauarus in Germaniam, relicta Italia, abierat; instante Franciæ rege, expeditionem in Sarracenos promulgat; impositis decimis, quæ Philippo ipsi ad expeditionem ituro darentur. *Ex Platina.*

A D R I A N V S.

Quos in priuata vita inimicos habuit, imperator tantum neglexit, ita vt vni, quem capitalem habuerat, factus imperator diceret, Euasisti. Xiphilinus.

V R B A N V S VI.

Tum verò Urbanus terrore Gallico liberatus Neapolim se cõferens, à rege petit, vt sibi liceat creare nepotè suum Campanū principè. Quod quum impetrare nequiuisset, homo sub specie iusti, & honesti minus urbanus, ac nulli gratus, ad minas conuersus eò iracundiæ regē compulit, custodijs adhibitis, per aliquot dies prodire in publicū nequiuerit. Verū dissimulata ad tempus iniuria, Nuceriam, ad vitandos cõstus, vt ipse dicebat, cū bona regis venia, profectus,

Etus, cōmunitaq; firmis præsidijs vrbe, & nouos cardinales creat, & septem ex veteribus in carcerem conijcit, quòd diceret eos cum rege & antipapa contra se coniurasse. *Et post pauca.* Quibus dum Genuam pontifex defertur, ex VII. cardinalibus Nuceriæ captis, V. saccis inuolutos in mare demersit. *Platina.*

Vrbanus quum esset in triremibus, ex VII. quos secum vinctos ducebat cardinalibus, V. fecit in saccos conijcere, ac in mare demergere. reliquos iure conuictos Genuæ, præsente clero & populo, securi iussit occidere, postea eorum cadauera furno exiccata quibusdam seruari manticis: quas quidem quoties equitabat mulis impositas, superque eas rubra pilea, ferri ante se iubebat: vt admoneretur simul, & recordaretur, terrereturque, si quis aliquid contra ipsum vellet machinari. *Pandulfus Collen. hist. lib. IIII.*

LYCURGVS.

Sed vnus quidam adolescens, aliàs non ignauus, verum & acer & feruidus Alcander instans, ac persequens, eius oculum, quum retrò verteretur, baculo feriens, eruit. At Lycurgus nil remissior eo dolore reditus est, quin aduersa fronte sese constituens, faciem ciuibus cruentam, cruentumque oculum ostendit. Pudore maximo & mærore intuentes affecti sunt, adeò vt ei Alcandrum traderent, & ad suam vsque domum Lycurgum ipsum simul indignantes deducerent. Lycurgus autem illos quidem laudatos dimisit, Alcandrum verò vbi domum introduxisset, mali ei nihil neque ses

cit, neq; dixit: sed dimissis consuetis ministris, qui sibi famulabantur, illum ministrare iussit. Hic autē qui nequaquam esset obtusus, silentio imperata exequetur, simulq; Lycurgo adsistens, ac simul viuens, in perficienda mansuetudine, & eius animi affectu, & vite seueritate, & in perferendis laboribus constantia, & ipse mirifico in eum virum amore est redditus, & ad familiares, amicosq; dicebat, Lycurgum neq; durū, neq; elatum esse, sed solū mansuetum, atq; aduersus alios mitem. Sic igitur ille cruciatus est, et huiusmodi pœnā subiit, vt ex improbo, et temerario iuvene, in virū exactissimum, continentissimūq; euaderet. Plutar.

V R B A N V S.

Urbanus Caroli nece audita maximā accepit voluptatē; quūq; sibi ensis, quo occisus fuerat, oblat⁹ esset, adhuc sanguinolē⁹; ipsū ensē aspexit, summaq; cū voluptate est cōtēplatus. Collen.

C Æ S A R.

Ceterū nō multō pōst Caesar in Ægyptū pturbatā puinciā pfectus, afferentē Pōpeij caput, vt scel⁹ execratus est, oculosq; ab ipso auertit. gemā verò Pompeij, quū suscepisset, illacrimauit, eius gemæ signum erat ensifer deo. Achillam autem, atq; Photinū iugulauit. Plutar.

I N N O C E N T I V S V I I.

Neq; in hoc quidem malorū omnium finis fuit. Nam vel ignauia pontificū, qui interdictis antea minis, armis postremō tollere discordias confuerant; vel schismate potius, quo tum ecclesia Dei multū laborabat, eò ventū erat, vt vilissimus quisq; tyrannus post mortē Ioannis Galeatii vnumquodq; facinus, quantūuis magnū, aggrediretur. Innocentius enim, dum ad
ad.

C O M P A R A T I O. 19

adhuc cardinalis esset, carpere negligentiam, & timiditatem priorum pontificum consueuerat quod eorum socordia factum, ne schisma ecclesie Romanae, totisque ecclesie Christiane pernicies, haecenus extinctum, & sublatum esset. Verum ipse pontificatum adeptus, secutusque in quibusdam Urbani, & Bonifacii vestigia, quos priuatus carpebat, non modo quod tanto opere laudabat, effecit, verum etiam iniquo animo ferebat, si quis apud se ea de re verbum vllum fecisset. propterea vero adeo tumultuose omnia gubernabat, ut quum semel Romani restitui in libertatem, reddique sibi Capitolium, portam Miluium, & arcem Adriani peterent, instarentque ite ut schisma, rem perniciosi exempli, de ecclesia tolleretur, bella extingueretur, & seditiones, rege Gallorum, ad eam rem conficiendam, operam suam pollicente, ac Petro Luna antipapa nequaquam tantam concordiam abnuente: Romanos ipsos pontifex ad Ludouicum nepotem diuertentem apud hospitale sancti Spiritus, via Saxea, tamquam ad certum carnificem miserit. Undecim enim ciues, reipub. suae labenti negligentia pontificis consulturi, statim necarunt, e fenestrisque deiciuntur, quod diceret eo modo tolli seditiones, & schisma, non alio quidem posse. Hac autem sequitiam motus populus Romanus, accito Ladislao Apuliae rege, arma capit, supplicium de Ludouico sumpturus. Verum pontifex declinaturus populi furorem, Viterbium, citato gressu, cum Ludouico proficiscitur. *Platina.*

O C T A V I V S.

In senatu verba facienti dictum est, Non intellexi, et ab alio, contradicerem tibi, si locum haberem. Interdum ob immodicas altercationes disceptantium, e curia per iram

se proripienti, quidam ingesserunt, Licere oportere senatoribus de repub. loqui. Antistius Labeo, senatus lectione, quum triumvirum legeret M. Lepidum, hostem olim eius, & tunc exulantem, legit: interrogatusque ab eo, an essent alij digniores, suum quemque habere iudicium, respondit. Nec ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit. Suetonius.

P I S I S T R A T V S.

A Thrasippo amico inter cœnam sine fine conuicio laceratus, ita & animum: & vocem ab ira cohibuit, ut putares satellitem à tyranno malè audire: abeuntem quoque, veritus ne propter metum maturius se conuiuio subtraheret, inuitatione familiari cœpit retinere. Thrasippus concitatae temulentiae impetu euectus, os eius sputo resperfit. nec tamen in vindictam sui valuit accendere. illi verò etiam filios suos violatæ patris maiestati subuenire cupientes retraxit. Postero quoque die Thrasippo supplicium à se voluntaria morte exigere volenti, venit ad eum, datæque fide in eodem gradu amiciciæ mansurum, ab incepto reuocauit. Si nihil aliud dignum honore gessisset, his tamen factis abundè se posteritati commendasset. Val. Max. lib. v. cap. i.

D I O N Y S I V S T Y R A N N V S.

Senectutis vltimæ quædam Syracusis, omnibus Dionysij tyranni exitium, propter nimiam morum acerbicatem, & intolerabilia onera, votis expetentibus, sola quotidie matutino tēpore deos, ut incolumis ac sibi superstes esset, orabat. Quod ubi is cognouit, non debitam sibi admiratus beneuolentiam, accersit eam.

G

C O M P A R A T I O. 21

Quid ita hoc, aut quo suo merito faceret, interrogavit. Tum illa, Certa est, inquit ratio propositi mei. puella enim quum gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam. quo interfecto, aliquantò tetrrior arcem occupavit. eius quoque finire dominationem magni aestimabam. Tertium te superioribus importuniorem habere cœpimus rectorem. itaq; timens, ne si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat, caput meum pro tua salute deuoveo. Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit Val. Max. lib. v. cap. i. l.

I N N O C E N T I V S. VII.

Innocentius VII. quum nondum ad pontificatum conscendisset, adhuc solo cardinalatus honore insignis, persæpe Urbanum ac Bonifacium pontifices, qui ante eum Romanæ ecclesiæ præfuerunt, reprehendit, quòd de tollendo à catholica ecclesia schismate parvâ gerere curam viderentur. cæterum postea ad pontificatum euectus, in eisdem ipse quoque incidit errores. A quibusdâ autè Romanis civibus rogatus, ut ad tollendû schisma curâ adhibere vellet, quû eos ad nepotè remisisset, ipsius nomine responsurum, à nepote pro responso id tulerunt, quòd à fenestris præcipites deiecti fuerunt: illud enim affirmavit suû esse responsum. Est autè cum in permultis alijs sæpe hoc crimè, ut quod in alijs reprehendunt, illud reprehensores ipsi agant: tum maximè sacerdotum ordini velut à natura insitum, à Christo redemptore longè antè enuntiatum, quum dixit, A sacerdotibus grauia alijs onera imponi, quæ ipsi ne digito quidem leuare volunt. Fulgo. lib. 8. cap. 6.

PHILIPPVS.

Non habuit hoc auitum ille vitium, ne paternum quidem. Nam si qua alia in Philippo virtus fuit, & contumeliarum patientia, ingens instrumentum ad tutelam regni. Demochares ad illum, Parrhesiastes ob nimiam, & procacem linguam appellatus, inter alios Atheniensium legatos venerat. audita benignè legatione Philippus, Dicite, inquit, mihi, facere quid possum, quod sit Atheniensibus gratum? excepit Demochares, Te, inquit, suspendere. indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta est, quos Philippus conticescere iussit, & Thersitem illum saluum, incolumemq; dimittere. At vos ceteri legati, inquit, nuntiate Atheniensibus, multò superbiores esse qui ista dicunt, quàm qui impunè dicta audiunt. Seneca lib. 3. de Ira.

IOANNES XXIII.

Ioannes XXIII. patria Neapolitanus, & nobilis, Baldefar cognomento Cossa antea vocatus, Bononiæ omnium consensu pontifex creatur. Sunt autem qui scribant id factum violenter esse, quod & legatus Bononiensis esset, & armatos milites tum in vrbe, tum in agris pro statione habuerat: vt si precario obtinere non posset, minis, & armis tandem consequeretur. vtcunq; est, constat eum pontificem creatum fuisse, ad eamq; dignitatem semper aspirasse. Nam quum adolescens esset, ac Bononiæ aliquot annis iuri civili operam dedisset; assumpto, vt nunc fit, doctrinæ gradu, Romanum iter instituit. interrogatus autem ab amicis quò proficisceretur; Ad pontificatum, respondit. Plat.

VE

C O M P A R A T I O 23
V E S P A S I A N V S.

Hæc primùm per cuneos milites loquebantur, deinde se adhortati inuicem. Vespasianum imperatorem appellat, eumque, ut in periculo constitutum imperium censeruaret, orabant. illi autem olim quidem rerum omnium cura fuit, nequaquam verò imperare volebat, dignum quidem se factis existimans, priuatæ autem vitæ securitatem clarioris fortunæ periculis anteponens. Recusanti autem rectores magis instabant, & circumfusi milites cum gladijs mortem ei minitabantur, nisi viuere vellet, ut dignus esset. Diu tamen reluctatus, quod reuebat imperium, postremò cum his qui se designauerant minimè dissuadere posset, accepit. Iosephus de Bello Iudaico lib. v. cap. x. & Hegeſippus lib. iiii. cap. xxvi.

M A R T I N V S. V.

Effusus nimio gaudio imperator, nullo habito dignitatis suæ discrimine, conclaue ingressus est, & gratias omnibus egit, qui tantum virum, & tam necessariũ reipub. Christianæ propè extinctæ delegissent: & ante pontificem prostratus cum summa veneratione eius pedes exosculatus est. Platina.

A L E X A N D E R S E V E R V S

*Salutabatur autem nomine, hoc est, Ave Alexander. si quis caput flexisset aut blandius aliquid dixisset, uti adulator vel abijciebatur, si loci eius qualitas pate-
retur, vel ridebatur ingenti cachinno, si eius dignitas grauiori subiacere non posset iniuriæ. Æl. Lampridius*

EUGENIVS IIII.

Capitur namque archiepiscopus Beneuentanus, Antonij Columnæ filius, ac quidē Masius frater, qui fassus est, quæstione adhibita, sibi in animo fuisse, arcem sancti Angeli dolo capere, interfecto ipsius arcis præfecto, eamq; Columnésibus prodere; qua occupata, & pontificem & Vrsinos ab vrbe pelleret. De Masio sacerdotio abrogato, quod Degradare appellant, sumptum supplicium est in campo Floræ eiusque corpus quadrifariam sub furca diuisum, ad quatuor vrbis celeberrimas vias suspensum est. *Ex Platina.*

ADRIANVS.

Tantum autem statim clemētie studium habuit, vt quum sub primis imperij diebus ab Tatiano per epistolas esset admonitus, vt & Bebius Macer, præfectus vrbis, si retineretur eius imperio, necaretur, & Laberius Maximus, qui suspectus imperio in insula exulabat, & Frugi Crassus: neminem læserit.
Spartianus.

IDEM.

Et de Gino Albanefio, viro in re militari præstanti sumptum supplicium, quia per eum steterisset, quò minus pax, inter Alfonsum & Eugenium inita, turbaretur. Afficitur & capitali pœna Paulus Lamoralis, vir præstantis animi, inuictique roboris; cuius virtus homini magis astuto

astuto, quàm forti, suspecta erat. Platina.

TRAIANVS.

Fortè insidiarum aduersus imperatorem Sura accusabatur, emuli subinde instare, remq; vrgere. Tunc Traianus vel inuocatus in domum illius cœnaturus accessit, dimissisque stipatoribus, atque satellitibus, medico Suræ oculos inspiciendos, denique accersito illius tonsore, mentum radendum commisit. Posthac Traianus lotus accubuit: atque postridie ad eos conuersus, qui Suram insimulare non cessabant, Ecquid, inquit, si vim mihi parabat Sura, vt dicitis, quur heri non me occidit? Per multa sanè Traianus & fecit, & tentauit periclitandi hominis gratia, & quamuis sæpius illum quidam accusarent, numquam tamen induci patuit, vt quidquam ab eo metueret. Xiphilius.

I D E M.

Rebus autem hoc modo Romæ compositis, iniuriarum memor Picennium belli ducem in Picentes, quos Franciscus bello subegerat, acciuit. qui Bononia abiens, dum Perusium proficiscitur, Trifernates Florentini populi socios ad defectionem compulit, Eugenio rem gratam facturis Florētinis infenso, quòd Franciscum pecunia ad oppugnandum, retinendumq; Picenum semper iuuisent. Platina.

VESPASIANVS.

Offensarum, inimicitiarumque minimè memor, executorve. Vitellij hostis sui filiam splendidissimè

P O N T. E T E T H N.

maritavit, donavitque etiam, & instruxit. Suetonius in Vespasiano.

I D E M.

Sequenti tamen anno Philippus haud animo concidens, Eugenium ad repetendam Bononiam adhortatur, militem, ac impensæ partem pollicitus. Quare permotus pontifex, inito etiam cum Alfonso foedere, Sigismundum Malatestam cum magno equitatu in Picentes contra Franciscum mittit; quò facilius, distractis Florentinorum copijs, Bononia premi ad deditionem posset. Platina.

O C T A V I V S.

Clementie, civilitatisque eius multa, & magna documenta sunt. nec enumerem quot, & quos diversarum partium venia, & incolumitate donatos, principem etiam in civitate locum tenere passus sit. Iunium Novatum, & Cassium Patavinum è plebe homines, alterum pecunia, alterum levi exilio punire satis habuit, quum ille Agrippæ iuuenis nomine, asperrimam de se epistolam in vulgus edidisset: hic conuitio pleno proclamasset, Neque votum sibi, neque animū deesse confodiendi eum. Quadam verò cognitione, quum Æmilio Eliano Cordubensi inter cetera crimina vel maxime obijceretur, quòd malè opinari de Cæsare soleret: conversus ad accusatorem, commotoque similis, Velim, inquit, hoc mihi probes faciam et sciat Elianus me linguam habere plura enim de eo loquar. nec quidem ultra aut statim, aut postea inquisivit. Tiberio quoque de eadem re sedulo violentius apud se per epistolam con-

que

COMPARATIO. 27

querenti, ita rescripsit: Aetati tuæ, mi Tiberi, noli hæc in re indulgere, & nimium indignari quemquam esse, qui de me malè loquatur: satis est enim si hoc habemus, ne quis nobis malè facere possit. Idem.

I D E M.

Bella autem ita amavit (quod mirū in pontifice videri debet) ut ad ea quæ scripsimus ab eo in Italia gesta, & Delphinum Caroli regis Franciæ filium, composita prius inter regem, & ducem Burgundiæ pace, cum magno equitatu in Basilienses concitauerit, cuius impetu dissipatus ille conuentus est: & Vladislaum Polonū regem, cum Iuliano Cæsarino diacono cardinali in Turcos miserit: quorum de numero ad xxx millia vno prælio cæsa inter Adrianopolim, & Danubium sunt: licet in tanta victoria rex ipse cum cardinali ab hostibus interfectus sit.

CRÆSVS AD CYRVM.

Neque enim quispiam ita amens est, ut bellum quàm pacem præoptet. nam in pace filij patres, in bello patres filios sepeliunt. Herod. lib. i.

I D E M.

Eugenio quoque Romano pontifici nihil molestius nuntiari potuit (loquor de inducijs cū Turca) cuius menti nulla maior cura insedit, quàm Christianæ fidei propagandæ. Scripsit igitur cardinali, nullū valere fœdus, quod se incôsulto

cum hostibus religionis percussam esset. Vladislao regi Poloniæ, qui eo tempore Hungariam occupabat, vti conuenta dissolueret, imperavit: iuramenta remisit; nouum instaurari bellum tum precibus, tum minis extorsit.

Papa Pius in descriptione Europæ cap. 5. Si quis ad finem vsque Pium legerit, inueniet bellum illud Hungarici excidij causam fuisse.

SEXT. POMPEIUS.

Marcus Antonius & Octavius cum SEXT. Pompeio in colloquium venere, iectumque fœdus, vt ille Siciliam, Sardiniam & Corsicam præsidio obtineret, ac mare tutum à prædonibus redderet, mitteretque Romam ex insulis certum tritici numerum, fœdereque ritè firmato, cœnatum est apud Pompeium. Is ab Antonio rogatus, vbi cœnam sibi & Octauio paraturus esset, nauim ostendisse fertur. Illa (inquit) est mihi paterna domus in Antonium haud dubiè cauillatus, qui Pompeianarum rerum sectator fuit. Ponte igitur in nauem transgressis, lautissima illis cœna apposta est. Ibi quum mictus de Antonio & Cleopatra sermo haberetur, Menodorus ad Pompeij aurem accedens, quasi aliud dicturus: Vis, inquit, Sexte, vt succisis anchoris hinc subito nauim auferam, teque sine alia belli molestia statuam rei Romanæ principem? Oportuit, inquit Pompeius te id facere, non à me sciscitari, an opus esset factò, qui nunquam sim fidem meam & iusiurandum violaturus. Sab. lib. 8. En. 6.

NICOLAUS V.

Sed Nicolaus pontifex coniuratione Stephani

phani Porcarij equitis Romani tum deprehensa, rem inchoatam omittens, ad sedandum intestinum bellum animum adiecit. Stephanus enim maioris animi, quam potentiae, vir quidem in dicendo materna lingua eloquentissimus, multa liberandae patriae indicia praese ferens (vt in principio diximus) Bononiam à pontifice relegatur, hac condicione, vt singulis quibusque diebus Niceno gubernatori vrbis sese offerret. *Platina.*

T I T V S

Pontificatum maximum ideo se professus accipere, vt puras seruaret manus, fidem praestitit: nec auctor posthac cuiusquam necis, nec conscius, quamuis interdum vlciscendi caussa non deesset: sed periturum se potius, quam perditurum adiurans. Duos patricij generis conuictos in affectatione imperij, nihil aliud, quam vt desisterent, monuit, dicens, Principatum facto dari, siquid praeterea desiderarent, promittens se tributurum. Et confestim quidem ad alterius matrem, quae procul aberat, cursores suos misit, qui anxie saluum filium nuntiarent. Caeterum ipsos non solum familiari coenae adhibuit, sed insequenti die gladiatorum spectaculo circa se de industria collocatis, oblata sibi ornamenta pugnantiu inspicienda porrexit. Sueton.

I D E M.

Cognita deinde Stephani per indices fuga, hominem apud sororem in capsa delitescentem capiunt, & captum, ac seriem coniuratio-

nis factum, ad muros arcis sancti Angeli suspendunt. Eodem quoque supplicio afficitur in Capitolio Angelus Massa, cum filio, & socio Sa-ua, lecta prius, audientibus omnibus, coniurationis serie, MCCCCLIII. v. Idus Ianuarij. Persecutus deinde reliquos coniuratos, omnes oppressit, maximè verò Franciscum, cognomento Gabadeum, & Petrum Monterotundū, & Baptistam Sarram à Venetis ad supplicium deditum; eò enim confugerat post patefactam coniurationem. *Idem.*

I D E M.

Post deductos in spectaculū vt se vtrinq; assidere iusserit, petitoq; ex industria mirmillonum, quorum pugna visabantur, gladio, quasi ad explorandam aciem, vni, atq; alteri commiserit. quibus percussis, & constantiam mirantibus, diceret, Videtis ne potestates fatodari, frustra q; tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu? Sex. Aureal. Victor.

I D E M.

Hanc ob rem Angelum, cognomento Ronconem, cum militibus ecclesiasticis mittit, qui Comiti iter intercluderet, quò minus ad oppida sua reuerteretur. At verò quum intellexisset per angelū stetisse, quò minus redeuntem Comitem milites caperent; hominem ad se vocatum, in arce Adriani capitali supplicio afficit, tertia noctis hora. *Idem.*

ARTAXERXES.

In eo bello, quod Cyrus minor aduersus Artaxerxē
frax

COMPARATIO. 31

fratrem susceperat: Arbaces prius, dum praeualere, Cyrum viribus existimaret, ab ARTAXERXE rege ad Cyrum defecerat: rursus Cyri accepto interitu, ad regem se conuerterat. Accusatus, pœna defectio- nis, videlicet capite, puniendus esse videbatur. Sed cū rex ipse cognosceret, religiosissimè iudicauit, hanc va- riam & incertam (quæ plerisque in bellis ciuilibus accidit) partium contentionem & mutabile studium, magis è pusillanimitate, mollitie & ignauia, dubioq; discernentis animo nasci, quàm prode & machinari quid mala mente & dolo malo cupientis. Iussit igitur Arbacem notari duntaxat, humerisque nudam meretriculam (quæ summa apud Persas ignominia fuit) in via publicè tota die ferre atque traducere. Plutarchus in Artaxerxe.

I D E M.

Idem ducibus suis qui deliquissent, pro eo quòd so- lent flagris cædi corpora, iussit vt pro corporibus veste illis detracta cæderentur: vtque pro eo quòd solet illis velli caput, tiara deposita velleretur. Plutarchus in regum Apophtheg.

CALISTVS III.

Mortuo verò non ita iam multò post Alfon- so, herede legitimo carēte; tanti animi Calistus fuit, vt regnū illud repetere sit ausus, dictitans id ad sedem apostolicam, Alfonsi morte, iure feudetario deuolutum esse. Parabantur iam v- trinq; arma; nec Ferdinādus Alfonsi heres ani- mos hominis cōtemnebat; norat enim homi-

nis ingenium, & animi eius amplitudinem. Verum etiam eius morte disturbata sunt omnia, & tanto metu Ferdinandus liberatus est. *Platina.*

P T O L E M Æ V S.

Ptolemæus Lagi sæpenumero apud amicos & cenabat, & dormiebat: ac si quando cœnam ipse præbebat, illorũ utebatur rebus, commodatò accipiēs pocula, lectos, mensas. nam ipse plura non possidebat, quàm quæ necessaria forent: quũ ditare, quàm ditescere magis regium esse dicitaret. Plut. in Apoph. Regum & Imperat.

P A V L V S I I.

Mortuo autem Pio, in eius locum ipse successit, statim ubi magistratum iniit, siue quòd ita pollicitus erat, siue quòd Pij decreta, & acta oderat; Abbreuiatores omnes, quos Pius in ordinem redegerat, tamquam inutiles, & indoctos (vt ipse dicebat) exauctorauit. eos enim bonis, & dignitate indicta causa spoliauit, quos etiam propter eruditionem, & doctrinam ex toto orbe terrarum conquisitos magnis pollicitationibus, & præmijs vocare ad se debuerat. *Platina.*

P T O L E M Æ V S.

Ptolemæus rex Alexãdrinus doctissimos quosq; ad se vocatos, salarijs, donisq; prosecutus est. Dixit secum Alexander Macedo nõ vnum, aut paucos quosdam, sed quasi

COMPARATIO.

33

quasi cohortes doctissimorum hominum. Antoninus Pius non donis modo, ac præmijs literatos ornauit, sed prouincijs præfecit, honoribusq; quàm maximis honestauit. Pontanus de Liberal.

VESPASIANVS.

Ingenia, & artes vel maximè fouit: primus è fisco Latinis, Græcisque rhetoribus annua centena constituit. Sueton. in Vespasiano.

PAVLVS II.

Atque ego certè qui horum de numero erã, rogando etiam vt caussa ipsa iudicibus publicis, quos Rotæ auditores vocant, committeretur; tum ille toruis oculis me aspiciens, Ita nos inquit, ad iudices reuocas? ac si nescires omnia iura in scrinio pectoris nostri collocata esse. Sic stat sententia, inquit; loco cedant omnes, eant quò volūt, nihil eos moror: pontifex sum, mitiq; licet pro arbitrio animi aliorum acta, & rescindere, & approbare. Platina.

ANTIGONVS.

Quidam autem quum dixisset, Omnia regibus & honesta, & iusta esse; Per Iouem, inquit, regibus barbarorum: sed nobis sola honesta, sunt honesta, & iusta sola iusta, Plutarchus libro Apophth. regū, & imperatorum.

IDEM.

Sed ecce in tam publica omnium lætitiã

C 5

subitus terror Paulum occupat. Nuntiatur ei
 quosdam adolescentes, duce Callimacho, in eum
 conspirasse; cui præ timore vix respiranti, ne
 scio quo fato nouus etiam terror additur. Ad-
 uolat enim quidam, cognomēto Philosophus,
 homo facinorosus, & exul, qui vitam primūm,
 & reditum in patriam deprecatus, nuntiat, ac
 falso quidem, Lucam Totium, Romanum ci-
 uem, Neapoli exulantem, eam multis exulibus
 in nemoribus Veliternis à se visum, ac paulò
 post ad futurum. Timere Paulus, ac magis trepi-
 dare tum cepit, veritus ne domi, & foris oppri-
 meretur. Capiuntur permulti ex vrbe tum ex
 aulicis, tum ex Romanis. augebat hominis ti-
 morem Vianesius; augebāt & alij eius familia-
 res, qui ex tanta perturbatione aditum ad ma-
 iorem dignitatem, & vberiore fortunam sibi
 quærebant, irrumpebāt cuiusuis domum sine
 discrimine. trahebant in carcerem quos suspe-
 ctos coniurationis habuissent. & ne ego tantæ
 calamitatis expers essem, domum vbi habita-
 bam, multis satellitibus noctu circumdant, fra-
 ctis foribus, ac fenestris, vi irrumpunt, Deme-
 trium Lucensem familiarem meum compre-
 hendunt, à quo vbi sciuerunt me apud cardi-
 nalem Mantuanum cænare, statim occurrunt,
 & me in cubiculo hominis captum ad Paulum
 confestim trahunt. qui vbi me vidit, ita, inquit,
 duce Callimacho in nos cōiurabas? Tum ego
 fretus innocentia mea, ita constanti animo re-
 spondi, vt nullum conscientie signum in me
 deprehendi posset. Instabat ille discinctus, &
 palli-

pallidus, & nisi verum faterer, nunc tormenta mihi, nunc mortem proponebat. *Platina.*

A V G V S T V S.

Quum altera Cinna poni cathedram iussisset, Hoc, inquit, primum a te peto, ne me loquentem interpelles, ne meo sermone medio proclames, dabitur tibi loquendi liberum tempus. Egote, Cinna, quum in hostium castris inuenissem, non factum tantum mihi inimicum sed natum, seruaui, patrimonium tibi omne concepsi. hodie tam felix es, et tam diues, ut victo victores inuisdeant. sacerdotium tibi petenti, praeteritis compluribus, quorum parentes mecum militauerant, dedi. Quum si de te meruerim, occidere me constituisti. Quum ad hanc vocem exclamasset, Procul hanc ab se abesse dementia, Non praestas, inquit, fidem Cinna, conuenerat, ne interloquereris. Occidere, inquit, me paras: adiecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum, cui commissum esset ferrum. Et quum defixum videret, nec ex conuentione iam, sed ex conscientia tacentem, Quo inquit, hoc animo facies? ut ipse sis princeps? male me hercule cum repub. agitur, si tibi ad imperandum nihil praeter me obstat, domum tueri tuam non potes. nuper libertini hominis gratia, in priuato iudicio superatus es. adeo nihil facilius potes, quam contra Caesarem aduocare? cedo si spes tuas solus impedio, Paulus ne te, & Fabius Maximus, & Cossi, & Seruiliij feret, tantumque agmen nobilium, non inania nomina praferentium, sed eorum, qui imaginibus suis decori sunt? Ne tota eius orationem repetendo magna parte voluminis occupem, diutius enim quam duab. horis locutum esse constat.

quam hanc pœnam, qua sola erat contentus futurus, extenderet; vitam tibi, inquit, Cinna, iterum do: prius hosti, nunc insidiatori, ac parricide. ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contēdamus utrū ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas. Posthac destulit vltro consulatum, questus quòd non auderet petere. Amicissimum, fidelissimūque habuit; heres solus fuit illi. Nullis amplius insidijs ab vlllo petitus est. Seneca lib. i. de clementia.

P A V L V S. II.

Bouem Phalaridis sepulcrum Adriani tum putasses; adeò resonabat fornix ille concauus vocibus miserorum adolescentum. Torquebatur Lucidus, homo omnium innocentissimus. Torquebatur Marsus Demetrius, Augustinus Campanus, optimus adolescens, & vnicum seculi nostri decus, si ingenium, & literaturā inspicias; quib. cruciatibus, & dolore animi mortuum postea crediderim. Fessi tortores, non tamen satiati. nam ad XX. ferè eo biduo quæstioni subiecerant; me quoque ad pœnam vocant. Accingunt se operi carnifices, parantur tormenta, spoliator, laceror, trudor tamquā grastator, & latro. Sedet Vianesius tamquam alter Minos stratis tapetibus, ac si in nuptijs esset, vel potius in cœna Atrei, & Tātali. homo, inquā sacris initiatus, & quem sacri canones vetant de laicis quæstionem habere; ne, si mors subsequatur, quod in tormentis interdum accidere solet, irregularis, vt eorum verbo vtar, & impius habeatur. Neque hoc quidem contentus,
dum

dum penderem miser in ipsis cruciatibus, monilia Sangæ Clugiensis attrectans, hominem rogabat, à qua puella amoris donum babuisset. De amoribus locutus, ad me conuersus instabat, vt seriem coniurationis, vel fabulæ potius à Callimacho cōfictæ explicarem. *Platina.*

Tandem verò delinitus aliquantulum tot meis, cruciatibus, non tamen satiatus, deponi me iubet, vesperi maiores subituum. Deferor in cubiculum semimortuus; nec ita multò pòst reuocor à quæstoribus bene potis, & pransis. Aderat & Laurentius Archiepiscopus Spalatēsis. petunt quid mihi colloquij fuerat cum Sigisimundo Malatesta, qui tum in vrbe erat. *Idē.*

Post biduum verò Christophorus Veronēsis Pauli medicus ad me veniens, Bono, inquit, animo te iubet esse Paulus, ac de se bene sperare, breuique liberum futurum. Sciscitor quando id fore speraret: respondet homo liber, audientibus omnibus qui tum aderant, Non ita citò fieri posse, ne leuitatis, & sæuitiæ argueretur pontifex, quòd illos, quos tanto tumultu concitato cœpisset, ac torsisset, statim velut innoxios dimitteret. *Idem.*

ANTIGONVS.

Et tam hæc cogitanda sunt exempla, quæ vites: quàm illa è contrario, quæ sequaris, moderata, lenia: quibus nec ad irascendum caussa defuit, nec ad vlciscendum potestas. Quid enim facilius fuit Antigono, quàm duos manipulares duci iubere, qui incumbentes

38 P O N T. E T E T H N.

Postea Timagenes in contubernio Pollionis Asinij cō-
 senuit, ac tota ciuitate deiectus est. nullum illi limen
 præclusa Cæsaris domus abstulit. historias quas postea
 scripsit, recitauit, & combussit; & libros acta Cæsaris
 Augusti continentes in ignem posuit. Inimicitias ges-
 sit cum Cæsare Augusto; nemo amicitiam eius extin-
 xit, nemo quasi fulguris ictum refugit. fuit qui præ-
 beret tam altè cadenti sinum. Tulit hoc, vt dixi, Cæs-
 sar, patienter, ne eo quidem motus, quòd laudibus suis,
 rebusque gestis manus adtulerat. Numquam cum hos-
 pite inimici sui questus est, hoc dumtaxat Pollioni
 Asinio dixit, ὄνπιον ἔσομαι. (id est, nutris feram.) Pa-
 ranti demum excusationē, obstitit, Fruere, inquit, mi
 Pollio, fruere. & quum Pollio diceret, Si iubes, Cæsar
 statim illi domum meam interdicam: Hoc me, inquit,
 putas facturū, quum ego vos in gratiam reduxerim?
 fuerat enim aliquando Timageni Pollio iratus, nec vl-
 lam habuerat causam desinendi, quàm quòd Cæsar cœ-
 perat. Seneca lib. 3. de Ira. c. 23.

P A V L V S I I.

In colligendis autē pecunijs ita diligens fuit,
 vt ferè semper beneficia, & episcopatus his cō-
 mitteret, qui officium aliquod venale haberēt,
 vnde elici munus posset. Omnia enim officia
 suo tempore venalia erant: quamobrem factū
 vt qui episcopatum, aut beneficium vellet, offi-
 cium aliquod emeret. quo lenocinio quòd vel-
 let consequeretur, superatis competitoribus
 omnibus doctrina, & probitate vitæ quouis
 magistratu, & honore dignis. Præterea verò
 quum episcopatus vacaret, quòd plures annatæ
 eodem

COMPARATIO 39

eodem tempore soluerentur, digniores, ut ipse prædicabat, ad vltiores episcopatus mouens magnam pecuniarum vim vndique colligebat. Redimendarum quoque pensionum usum nõ improbat.

ALEXANDER SEVERVS.

Honores iuris gladij numquam vendi passus est, dicens, Necessè est qui emit, vendat. ego non patiar mercatores potestatum, quos si patiar, damnare nõ possim. erubescò enim punire illum hominẽ, qui emit, & vendit. Item. & alia eiusmodi inuenies ibidem. Lampridius in Alexandro.

PESCENNIVS NIGER.

Addidit etiam consularijs salaria, ne eos gratarent, quibus assidebant, dicens, Iudicem nec dare debere, nec accipere. Lampridius.

ALEXANDER VI.

Præerat tunc Christianis sacris Alexander sextus, natione Hispanus, antea Rodericus Borgia nuncupatus, qui præalto ingenio, eoque semper astutus liberali, quibusdam Senatoribus per comitiales dies non occulta largitione corruptis, quum potiores eius ordinis solis innixi virtutibus repulsam tulissent, pontificatum adeptus est. Is ab immani cupiditate maiores opes affectans, ut mox dicemus, Columnios pariter atque Visinos varijs afflixit cladibus, pontificatuque varia labe polluto, cuius

40 PONT. ET ETHN.

antea nomen sanctius, ac venerabilius fuerat, Italicarum rerum statum magnopere conturbavit. P. Iovius lib. I. Historiar.

SATURNINVS.

Nescitis amici quid mali sit imperare. gladij, et tela nostris ceruibus impendent, hastæ vndiq, vndiq, spicula. ipsi comites formidantur. non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde quod omnis ætas in imperio repreheditur. senex est quispiam, inhabilis videtur: sin, minus inest furor. Nam quod imperatorē me cupitis, in necessitatē mortis me trahitis. Sed habeo solatium mortis, solus perire non potero. Fl. Vopiscus in Saturnino.

REX BARBARVS.

Rex etiam ille subtilis iudicij, quem ferunt traditum sibi diadema, priusquā capiti imponeret, protentum diu cōsiderasse, ac dixisse: O nobilem magis quā felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat quā multis sollicitudinibus, & periculis, & miserijs sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere velit. Valerius Maxim. lib. VII. cap. II.

ALEXANDER VI.

Ingruentibus autem in Italiam Gallis, Alexander inito cum Aragonijs fœdere, Georgiū Bucciardum, natione Ligurem, Turcicæ peritum linguæ ad Baiazetem misit; qui doceret
quanto

quanto apparatu, quantisque classibus rex iu-
uenis gloriæ, & proferendi imperij cupidus
Neapolitanum regnum inuaderet: quantisque
demum opibus, confecto statim Italico bello,
in Græciam esset traiecturus: propterea eum
enixè petere, vt Gemes sibi traderetur; cuius
auspicijs, propter magnas paterno in regno
necessitudines, cuncta sibi faciliora eo bello fu-
tura confideret. & *quæ deinceps sequuntur. Iouius
lib.2. Histor.*

Baiazetes qui cuncta hæc cū à speculato-
ribus, tum multis etiam Alfonsi literis, atque
legationibus vera esse didicerat, Georgio gra-
tias egit; quòd se externum, & diuersa de dijs,
atque religione sentientem, Alexander, qui sa-
cri imperij fastigium teneret, adeo benignè, a-
miceq; de maximis rebus tempestiuè monuif-
set. Ceterum suavit ut cum Dautio legato suo,
qui & pecuniam, & secretiora de hisce rebus
mandata deferret, in Italiam reuerteretur. In
his mandatis erat epistola Græcè conscripta,
qua rex barbarus multa arte pontifici suade-
bat, vt Gemem fratrem, tamquam alienæ re-
ligionis hominem veneno tollendum cura-
ret: quem vnum, de imperio sollicitus, ob in-
gentes viri virtutes, si qua sorte custodia eua-
deret, maximè formidabat. Id si præstaret pon-
tifex, ducenta millia aureorum nummum, in-
tegra fide, se persoluturum promittebat. & *ces-
tera. Ibidem.*

ALEXANDER Amyntæ F. rex Macedon
D

num. quanuis à partibus Mardonij staret ad Plateas, patriæ tamen amore motus, pridie eius diei, quo pugna commisit, & Græci victores euaserunt nocte, intempesta & clam ad castra Græcorum accessit, illisq; indicauit, Mardonium cupidum cum Græcis confligendi, litare non posse, & auspicijs terreri: constituisse tamen omnino, vbi primùm illuxisset, vel reluctanti bus fatis, manus conserere. Itaq; parati essent ad omnem euentum. ita factum vt Græci instructi Persas expectarint atque vicerint. Herod. lib. 9.

Z E N O Eleates, Pythagoræ discipulus cum Phalaridi tyranno crudelissimo necem machinaretur, detecto eius consilio, captus & acerbissimis questionibus laceratus est, vt consocios coniurationis detegeret. Attamen nullis vel minis vel cruciatibus eò adduci potuit, vt facinoris consocios indicaret: sed vultu intempesto, & sublimi quadam constantia tortoribus resistit, & demum intimos tyranni amicos (licet insontes) coniurationis capita esse dixit. quibus sublatis multitudinem seuientem magnifica oratione ita impulit, vt facto impetu lapidibus tyrannum obruerint. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 30.

I D E M.

Eratq; constans fama, Alexandrum, vt barbarus princeps inimici regis gloriæ, atq; spectaculo subtraheretur, ipseque obiter proposita à Biazete præmia promereret; letiferum puluerem saccaris, quibus Turca poculis omnibus vteretur, miscuisse. is erat puluis ad fallendum candore mirabili, nec iniucundo admodum

COMPARATIO. 43.

dum sapore; qui non acriore vi protinus, sicuti præsentanea venena, sed sensim venis illabendo, exitiabili tarditate grassaretur. quo postea Alexander opulentos aliquot senatores, & postremò seipsum incautè, mutata lagena, sustulisse ferebatur. *Iouius ibidem.*

CALLICRATIDAS.

Callicratidas quum esset nauarchus, amicis Lysandri rogantibus, vt sibi vnum quemdam ex inimicis concederet necandum, acciperetq; talenta L. quamuis pecuniarum tunc maximè ad nautarum com meatum emendum indigeret, non concessit: sed quum Cleander consiliarius dixisset, At ego quidem accepissem, si tu fuisset: Et ego, inquit, si tu essem. Plutarchus in apotheg. Laconicis.

IDEM.

Enimuerò pontifex Alexander, quo nemo principum ea tempestate atrocior fuit: Ferdinandum datam fidem seruare cupientem, monendo, ac sæua denuntiando, induxerat, vt Virginium custodiæ traderet. & quæ sequuntur. *Iouius lib. 4.*

XENOCRATES.

Quum aliquando passer accipitri futurus præda se in eius sinum recepisset, oportuit, ac fouit, dicens, Non oportere supplicem prodere. Plaut. in Apophth. Philosophorum.

I D E M.

Agitabat enim vir ille immoderatus, & personę quã gerebat penitus oblitus, quibus nam modis ingentes opes filijs pararet; quòd nisi multo cum scelere, multorumque infantium regulorum nece fieri non poterat: propterea utriusque factionis insignes viros, qui viribus, auctoritateque pollebant, ne consilijs suis aliquid obuiam iretur, pellere, ac interficere statuebat. *Iouius lib. 4.*

A L C A M E N E S.

Alcámenes Telecri, quodam rogante, Quomodo quis regnum optimè seruaret: Si lucrum, inquit, non multifecerit.

Altero verò quærente, Quur à Meseñijs munera non accepisset: quia si accepissem, inquit, cum legibus pacem agere nequirem. Plat. in Laconicis.

E P A M I N O N D A S.

Iason verò Thessalorum princeps, quum socius Thebas venisset, ac duo millia aureorum Epaminondæ vehementer indigenti misisset: aurum quidem non accepit, sed quum primùm Iasonem vidit, Iniustus, inquit, manibus imperas. ac quinquaginta drachmis à quodam ciuium acceptis, exercitus viatico, in Peloponnesum irrupit.

Rursus quum rex Persarum tria daricorum millia ei misisset Diomedontem asperè obiurgauit, quòd tantam nauigationem nauigasset, vt corrumpere Epaminondam:

C O M P A R A T I O. 45

minondam. sed regi renuntiare iussit, Si qua Thebanis conferant, sentiat, gratis Epaminondam amicum esse habiturum: sin quæ minus utilia sint, hostem.
Plutarchus in Apophth. Regum.

I D E M.

Dum hæc in Etruria geruntur, Alexander pontifex, ut urbis proceres dederet, quos Romanorum pontificum compedes appellabat, utque maior inde filijs potentia strueretur, ad oppugnanda Virginij oppida copias misit.
Iovius lib. 4.

A N T O N I V S G E T A.

Huius illud pueri fertur insigne, quod quum vellet partium diuersarum viros Seuerus occidere, & inter filios diceret, Hostes vobis eripio: consentiretque adeo vsq; Bassianus, ut eorum etiam liberos, si sibi consulere, diceret occidendos: Geta interrogasse fertur, quantum esset interficiendorum numerus: quumque dixisset pater, ille interrogauit; Isti habent parentes, habent propinquos? quum responsum esset, habere complures; Plures ergo in ciuitate tristes erunt, quam læti, quod vicimus. Lampridius.

I D E M,

Sed id tempus Cæsar Borgia, qui quattuor Varanios proceres antiquissimæ stirpis Camertes necarat, ut eorū imperio, & opibus potiretur; Guidonem Feltrium Urbino, Pandul-

sum Malatestam Arimino depulerat, Astorem
 que Manfredum, expugnata Fauentia, sub fide
 deditum strangularat; sanguinarias manus Vr
 sine factioni, atque familiæ proceribus admo-
 uit. Primò Vitelloccium ab insigni virtute in-
 uisum, & Liberottum Firmanum, moxque
 Paulum Vrsinum, Latini cardinalis filium, &
 Franciscum Vrsinū Grauinę regulum in Vim-
 bria tetro supplicio sustulit: eodemque die ab
 Alexandro pontifice, ad constitutum tempus,
 Baptista Vrsinus cardinalis in mole Adriani
 cantaridum veneno sublatus est. Sed Italicæ
 nobilitatis stirpes excidenti, affectanti que re-
 gnum Italiæ, non diu fortuna arrisit. Quum
 cœnaret enim Vaticana in villa, inuitatus à
 patre pontifice, venenum bibit; quod conui-
 uis quibusdā senatoribus ditissimis paratum
 erat, fallente lagenas incauté à poculis mini-
 stro. sed Alexandro vim veneni non ferente,
 ipse Cæsar paterno funeri, miseræque suæ in-
 terfuit. *Iouius lib. 8. Macchiauellus tamen diuersè
 exponit.*

HERCULES.

*Dicunt autē & hoc de Hercule, quod nudus inces-
 serit, leonis dumtaxat exuuiū habens, et clauam. Hoc
 autem ideo dicunt, quòd ille neq; aurum neq; argentū,
 neq; vestimenta magni æstimarit: sed omnia hæc dux-
 xerit esse nihili, nisi quatenus dari possent, atque do-
 nari. Multis igitur non solūm infinitas pecunias, &
 terram, & armenta equorum, boumq;, verūm etiam
 regna, & ciuitates totas dono dedit. Credidit enim
 omnia*

COMPARATIO. 47

omnia sua esse, & nihil alienum, ex donatis autem
acquiri accipientium benevolentiam. Dion Chry-
sost. orat. prima de Regno,

ALEXANDER SEVERVS.

Diuitijs nullius inuidit: pauperes iuuat: honoratos,
quos pauperes verè, non per luxuriam, aut simulatio-
nem vidit, semper multis commodis auxit, agris, ser-
uis, animalibus, gregibus, ferramentis rusticis. Lam-
pridius.

Thesauros repertos bis qui repererant donauit, &
si multi essent, addidit his eos, quos in suis habebat es-
sicqs. Idem.

EPI T A P H I V M
Alexandri VI.

Fortassè nescis cuius hic tumulus fiet,
Adsta viator ni piget.
Titulum quem, Alexandri vides, baud illius
Magni est, sed huius, qui modò
Libidinosa sanguinis captus siti,
Tot ciuitates inclytas,
Tot regna vertit, tot duces letho dedit
Natos vt impleat suos.
Orbem rapinis, ferro, & igne funditus
Vastauit, hausit, eruit:
Humana iura, nec minus cœlestia,
Ipsosque sustulit deos:
Vt scilicet liceret (heu scelus) patri
Nata suum permingere.

Nec execrandis abstinere nuptijs,

Timore sublato semel.

Et tamen in vrbe Romuli hic vel vndecim

Præsidet annis pontifex.

I nunc Nerones, vel Caligulas nomina,

Turpes vel Heliogabalos.

Hoc sat viator, reliqua non sinit pudor,

Tu suspicare, & ambula

Sannazarius in Epigram.

ALEXANDER

Seuerus.

Si quis de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subijciatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi: aut si hæc omnia transfret dignitas hominis, grauissimis contumelijs, quum diceret, *Vis ne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?* Clamabatque sæpius quod à quibusdam siue Iudæis, siue Christianis audierat, & tenebat, **QVOD TIBI NON VIS, ALTE RI NE FECERIS.** Quam sententiam vsque adeo dilexit, vt & in palatio, & in publicis operibus præscribi iuberet. Idem quum quamdam anisculam affectam iniuria à milite audisset, ex autoratum eum militia seruum ei dedit, quod artifex carpentarius esset, vt eam pasceret. Et quum dolerent hoc milites factum: persuasit omnibus vt modestè ferrent, & eos terruit. *αἰαῖμαλον* (sine sanguine) imperium eius, quum fuerit durus; & tetricus, iccirco vocatum est, quod senatorem nullum occiderit, vt Herodianus Græcus scriptor refert in libris temporum suorum. Lampridius.

Quippe

Quippe annis XIII. anæmion, hoc est, citra sanguinem gessit imperium, ne vno quidem occiso. Herodianus lib. 6.

I D E M .

Ergo te semper cupiet Lucretia Sextus?
ô fatum diri nominis. hic pater est.
SannaZarius in Epigrammatis.

A L E X A N D E R M A C E D O .

Puellam autem ad se sub intempestam noctem ut vnâ cubaret, interrogauit. Quur ita sero? ac illa quum respondisset, se tantisper expectasse, dum maritus cubitum iret, grauius seruos increpauit, quòd ferè ipsorum opera adulterium perpetrasset Plutarchus libro apophth. ducum & imperatorum.

L E O X .

Ceterum in omni lætitia ad gratulandum effusa ciuitate, quum epulum in Vaticano nouis patribus daretur, Alfonsus (Cardinalis Petrucius) in carcere, Orlando Aethiope strangulante, interijt. *Paulus Iouius in vita Leonis lib. 4.*

A N T O N I N V S P I V S .

Vsq̄ue adeò sub eo nullus est percussus senator, ut etiam parricida confessus in insula deserta poneretur, quia viuere illi naturæ legibus non licebat. *Iul. Capito inus in Pio.*

I D E M.

Erat etiam Bib'enna mirus artifex hominibus ætate, vel professione grauibus ad insaniã impellendis, quo genere hominum pontifex adeo flagranter oblectabatur, vt laudando, & mira eis persuadendo, donando, plures ex stolidis stultissimos, & maximè ridiculos efficere consueuisset: vti Euangelistæ Terascono Parmensi, ab epistolis, honesto seni, accidit, qui se repente nouo studio, ac leui persuasione, summum se esse musicum putabat. huic adeo industriè, ac suauiter est adulatus, vt vana inflatus opinione, incredibilia, ac ridenda quædam musices præcepta commentaretur &c. *Iouius lib. 4. vitæ Leonis.*

M A R C V S A N T O N I V S.

Fuit per omnia moderatissimus in hominibus deterrendis à malo, inuitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis, fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos: moderatè etiam cauillationes nonnullorum ferens. & quæ connectit. Iul. Capitolinus in Antonio.

I D E M.

Baraballi quoque Caietani eximiæ stoliditatis procacius quàm sacrosanctum pontificè deceret, illudit, quum ille insulsissimos versus ab omne vocum, ac numerum enormitate ridendos facere, & palàm recitare soleret, seque
alterum

COMPARATIO 51

alterum! Petrarcham in Etruscis rhythmis esse prædicaret. eò enim perpetuis adulationibus inflammatum gloriæ cupiditate perpulit, ut meritum gestandæ laureæ honorem postularit, ac subinde ut insigni pompa in Capitolium duceretur, quòd in Capitolio Petrarcham coronatum quondam fuisse audiuisset. *Ibidem.*
Vide Augustinum Niphum, de re aulica lib, 1. c. 34.

PVER PHILOSOPHVS.

Puer quidam apud Platonem educatus, quum ad patrem ex interuallo redisset, eumque vidisset effusus ridentem, admiratus dixit, Se tale nihil vquam apud Platonem vidisse. Erasmus lib. 6. Apoph.

M. CATO.

Qui autem ridiculis studerent, eos in serijs deridendos videri aiebat. Plut. in Apoph. imperatorum.

PLISTARCHVS.

Quum verò causidicus quidam ridicula diceret, Nō cessabis. inquit, o hospes, à ridiculis continuè dicendis, ne ridiculus fias, ut qui assidue luctantur, luctatores? Plut. in Apoph. laconicis,

IDEM.

Non caruit etiam infamia, quòd parū honestè nonnullos è cubicularijs (erant enim è tota Italia nobilissimi) adamare, & cum his tenerius, atque liberè iocari videretur, Ibidem.

Sed demus aliquid humanitati Leonis, vti in summa licentia feruide ætatis, ac prosperæ valetudinis æstum ægerrimè sustinenti, postquã in magnis, salutaribusque virtutibus optimi, atque benefici cognomentum facile meruerit. *Ibidem.*

P E R I C L E S.

Cum aliquando Sophocles, qui cum Pericle nauigabat in prætura collega formam pueri cuiusdam leui daret: Prætorem ô Sophocles, inquit, non solum manus sed & oculos abstinentes habere oportet. Plut. in Pericle, & Cic. lib. i. offic.

A L E X A N D E R M A G N U S.

Præfêcto classis Philoxeno, apud se Tarentinum Theodorum duos pueros venales habentem diuertisse, scribente, & num emere vellet, percontante: sæpe vociferans æquales rogauit, Quid nam olim tam obscenũ de se Philoxenus animaduertisset, vt hæc illi probra compararet? Scribens etiam ad Philoxenũ, post multa in illum maledicta, et conuicia, ipsum cum suis mercibus Theodorum malam in rem mittere iussit. Quẽdam etiam adolescentem, Agnonem nomine, quum ei se egregia forma Crobylum ex Corintho emere ad illũ deferre velle scripsit, ingentibus affecit conuicijs. Plut. in Alexandro.

I D E M.

Quinquaginta etiam millia aureorum nummũ impendisse ferebatur in aula Belgica, ab inter-

C O M P A R A T I O. 53

intertexto auro, nobilitateque artificum magnopere pretiosa. *Ibidem.*

A V R E L I A N V S.

Et quum ab eo vxor sua peteret, vt vnico pallio blateo serico vteretur, ille respondit, Absit vt auro fila pensentur. Habuit in animo, vt aurum neque in cemeris, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur. &c. Fl. Vopiscus in Aureliano.

I D E M.

Venationibus etiam, & aucupijs nobilioribus adeo perditè studebat, vt spurcissimas sæpe tempestates, insalubresque ventos, & frequentia mansionum, ac itinerum incommoda obstinate contemneret, & quæ sequuntur.

D I O N Y S I V S S E N I O R.

Idem, cuidam roganti, An esset otiosus, Numquam hoc mihi, inquit, eueniat. Plut. in Apoph. Regum.

I D E M.

Paucis tamen antè horis quàm è vita migraret, supplex iunctis, elatisque manibus, atque oculis in cælum piè coniectis, Deo gratias egit, constantissimè professus, se vel funestum morbi exitum æquo, pacatoque animo laturum, postquàm Parmam, Placentiamque sine vulnere recuperatas, honestissima de superbo hoste parta victoria, conspiceret. *Ibidem.*

ANTIOCHVS.

Antiochus autem quum à L. Scipione vltra Tauram montem imperij finibus summotus, Asiam prouinciam vicinasque ei gentes amisisset: gratias agere P. R. non dissimulanter tulit, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis vteretur. Et sanè nihil est tam præclarum, aut tam magnificum, quod non moderatione temperari desideret. Valerius Max. libro 3. cap. 1.

CLEMENS. VII.

Ferunt Clementem, vbi ex literis, quas ad eum ex ipsa Philippi victoris prætoris præscripserant, de euentu eius naualis pugne certius didicit, vel ob id magnopere fuisse lætatum, quòd ipse Vgo Moncata, & Cæsar Feramusca præcipuè cecidissent: quorum ille occupato Vaticano, & sacrarijs augustissimi templi direptis, primum intulerit vulnus, hic verò ab Hispania pro legato Romæ missus, nequaquã syncerè Cæsaris voluntatis ad traducendum falsus vates extiterit &c. Paulus Iouius libro historiarum 25.

M. ANTONIVS.

Marcus autem non exultauit interfectione Cassij, caputque eius humari iussit. Iul. Capitolinus.

AVIDIVS CASSIVS.

Vicinam possem multos etiam ab inferis excitare. Vulcacijs Gallicanus.

AENEAS

AE NEAS TROIANS.

*Pacem ne exanimis, & Martis sorte peremptis.
Oratis? equidem & viuis concedere vellem.*
Virg. lib. xi. Aen.

I D E M.

Et postremò thiam illam potius quàm coronam, bicipiti fastigio, multis que adamantib. insignem capiti imposuit. ille (Cæsar Carolus) pte inflexo genu pronus, exosculato pede, pontificem adoravit. *Iovius lib. 27. Hist.*

T I B E R I V S.

Adulationes adeò auersatus est, vt neminem senatorum aut officij, aut negotij causa ad lecticam suam admiserit consularem verò satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem, ita suffugeret, vt caderet supinus. Post pauca, Dominus appellatus à quodā, denuntiavit, Ne se amplius contumeliæ causa nominaret. Alium dicentem, Sacras eius occupationes. & rursus alium, Auctore eo senatum se adijisse: verba mutare, & pro auctore, & suasorem, pro sacris, laboriosas dicere coegit. Sueton. in Tiberio.

I D E M.

Ceterum pontifex quòd suæ existimationis pietatisque fore existimabat, tueri nomen quòd sibi desumpserat, moderata vtens ultione, paucissimorum pœna contentus fuit. *Iovius libro 29. de Florentia patria Clementis capta.*

O C T A V I V S.

Neque aut crebrius, aut perfidiosius rebellantes graviore vniquam mulctatus est pœna, quàm vt captio

uos sub lege venundaret, ne in vicina regione seruiret, neue intra tricesimum annum liberarentur. Quia virtutis, moderationisque fama. Indos etiam, ac Scythas, auditu modò cognitos, pellexit ad amiciciam suam, populi que Romani vltro per legatos petendam &c. Sueton. in Augusto.

I D E M.

Effudit quoque pontifex totum contumeliæ suæ odium in Foianum cucullatum, qui eū illoto ore in sacris concionibus intemperantissimè lacerasset, coniectus siquidem in barathrum molis Adriani, totius insanæ facundiæ suæ pœnas fœda morte persoluit. *Ibidem.*

C. I V L I V S. C Æ S A R.

Simultates contra nullos tam graues excepit vniquam, vt non occasione oblata libens deponeret. C. Memmij, cuius asperrimis orationibus, non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit. C. Caluo post famosa epigrammata, de reconciliatione per amicos agenti, vltro, ac prius scripsit. Valerium Catullum, à quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulauerat, satisfaciens, eadem die adhibuit cœnæ, hospitioque patris eius, sicut consueuerat. Vti perseuerauit. Suetonius in Cæsare

I D E M.

In Clementis quoque pectus altè descend-
rat

rat iniuria ex iudicio Cæsaris grauissimè concepta; quum Cæsar disceptator, & arbiter, Regij & Mutinæ principatum, Atestino Alfonso, prædamnatis pontificij imperij iuribus, adiudicasset. Optarat Clemens, vt si aliqua caussa vel ambigui, vel parum æqui iuris, secundum se litem dare nollet; iudicialis arbitrij præfixum tempus elabi pateretur, &c. *Iouius libro 31.*

SEVERVS.

Matrem verò etiam incusabat, ei que grauitè succensebat, quòd esset pecuniæ auidior, & opum cumulatandarum studiosior videbatur. Herodianus libro 6.

IDEM.

Nobis certè constabat, Clementem alienato maximè ingenio, eam Cæsaris sententiam pertulisse, qua ille Alfonso Atestino Regium, & Mutinam adiudicarat; adeo vt iniuriam libero ore conquestus, contra morem, barbam alternante manu demulceret, & aliàs irati animi decretum in colloquijs nimia dissimulatione fateretur. *Iouius lib. 31. Hist.*

ANTIOCHVS.

Victus à L. Scipione Antiochus rex Asiæ, & acceptis conditionibus pacis, benignè sibi à pop. Rom. factum dixit, quòd magna cura liberatus, moderatus, modicis regni terminis vteretur. Plutarchus.

E

BONIFACII MAR-
TYRIS DICTVM.

Si papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis, & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi, & omnibus: nihilominus innumera- biles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus: huius culpas istic re- darguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudican- dus, nisi deprehendatur à fide deuius. Pro cu- ius perpetuo statu vniuersitas fidelium tantò instantius orat, quãtò suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit propen- sius pendere. *Ex decreto Gratiani distinctione 40.*

TRAIANVS.

Cuidam etiam principio, quum præficeret eum præ- torianis cohortibus, atque ipsum ob eam causam gla- dium accingere oporteret, Traianus nudum porrexit, dixitque, accipe gladium, quem pro me, si bene, atque ratione imperaui, distringes: sin minus, eo ad inte- ritum meum vtere. Xiphilinus in Traiano.

NICOLAVS PAPA

omnibus episcopis.

Nemini est de sedis apostolicæ iudicio iudi- care, aut illius sententiam retractare permis- sum,

C O M P A R A T I O. 59

sum, videlicet propter Romanæ ecclesiæ pri-
matum, Christi munere, in beato Petro apo-
stolo diuinitus collatum. *Gratianus in Decres-
to, Causa 17. quest. 4.*

A N T I O C H V S.

*Antiochus tertius ad ciuitates scripsit, Si quid
contra leges per litteras facere iusserit, ne sibi tamē
quam ignaro pareant. Plut. in libro Apophy-
theg. Regum, & Impera-
torum.:*

F I N I S.

Erratum fol. 16. II. pro XXII.

INDEX P A P A R V M

ET REGVM DE QVIBV

bus fit mentio in hoc libello.

P A P A E.



Alexander III. 14

Alexander VI. 39.40.41.42.

43.44.45.47.49.

B

Benedictus VIII 4

Bonifacius VII. 9

Bonifacius martyr. 58

C

Calistus III. 31.

Clemens VII. 54.55.56.57.

E

Eugenius III. 24.25.26.27.

H

Honorius II. 13

I

Ioannes XII. 7

Ioannes XXII. erratum in numero, dicit enim II. 16

Ioannes XXIII. 22

Innocentius V II. 18

L

Leo II. I

Leo

I N D E X.

| | | |
|----------------|---|----------------|
| Leo X. | | 49.52.53 |
| | M | |
| Martinus V. | | 23 |
| | N | |
| Nicolaus V. | | 28.29.30.58. |
| | P | |
| Pascalis II. | | II |
| Paulus II. | | 32.33.35.36.38 |
| | S | |
| Sabinianus. | | I |
| Sergius III. | | S |
| Stephanus V I. | | 2 |
| | V | |
| Urbanus VI. | | 16 |

R E G E S.

| | | |
|---------------------|--|--------------------|
| Aeneas Troianus. | | 55 |
| Adrianus | | 16.24 |
| Alcamenes | | 44 |
| Alexander Magnus | | 6.49.50. |
| Alexander Amyntæ F. | | 41 |
| Alexander Seuerus | | 8.23.39.47. 48.57. |
| Annibal | | 6 |
| Antigonus | | 3.33.37.57. |
| Antiochus | | 54.60 |
| Antonius Geta. | | 45 |

I N D E X

| | | |
|---------------------------|---|-------------|
| <i>Antoninus Pius</i> | | 49. |
| <i>Artaxerxes</i> | | 30.31 |
| <i>Augustus</i> | | 35 |
| <i>Aurelianus</i> | | 53 |
| <i>Avidius Cassius</i> | | 54. |
| | C | |
| <i>C. Julius Caesar</i> | | 2.56 |
| <i>Callicratidas</i> | | 43 |
| <i>Cræsus</i> | | 27 |
| | D | |
| <i>Dionysius tyrannus</i> | | 20 |
| <i>Dionysius senior</i> | | 53 |
| | E | |
| <i>Epaminondas</i> | | 44. |
| | H | |
| <i>Hercules</i> | | 46 |
| | L | |
| <i>Lycurgus</i> | | 17 |
| | M | |
| <i>Marcellus</i> | | 3 |
| <i>Marcus Antonius</i> | | 4.54 |
| <i>M. Curius</i> | | 10 |
| <i>Maximinus iunior</i> | | 15 |
| | N | |
| <i>Numa Pompilius</i> | | 13 |
| | O | |
| <i>Octavius</i> | | 15.19.26.55 |
| | | Otho |

I N D E X.

| | | |
|-----------------------------|---|-------|
| Otho | | 18 |
| | P | |
| Paulus Aemilius | | 11 |
| Pericles | | 53 |
| Pescenninus Niger | | 39 |
| Pisistratus | | 20 |
| Probus | | 12 |
| Ptolemaeus Lagi | | 32 |
| Ptolemaeus rex Alexandrinus | | 32 |
| | R | |
| Rex Barbarus | | 40 |
| | S | |
| Saturninus | | 40 |
| Scipio Africanus | | 9 |
| Seleucus | | 4 |
| Sextus Pompeius | | 28 |
| | T | |
| Tiberius | | 14.55 |
| Titus | | 29 |
| Traianus | | 25.58 |
| | V | |
| Vespasianus | | 23 |
| | Z | |
| Zeno Eleates | | 48 |

F I N I S . .


I N D E X

| | | | |
|-----|-----|-----|-----|
| 1 | 1 | 1 | 1 |
| 2 | 2 | 2 | 2 |
| 3 | 3 | 3 | 3 |
| 4 | 4 | 4 | 4 |
| 5 | 5 | 5 | 5 |
| 6 | 6 | 6 | 6 |
| 7 | 7 | 7 | 7 |
| 8 | 8 | 8 | 8 |
| 9 | 9 | 9 | 9 |
| 10 | 10 | 10 | 10 |
| 11 | 11 | 11 | 11 |
| 12 | 12 | 12 | 12 |
| 13 | 13 | 13 | 13 |
| 14 | 14 | 14 | 14 |
| 15 | 15 | 15 | 15 |
| 16 | 16 | 16 | 16 |
| 17 | 17 | 17 | 17 |
| 18 | 18 | 18 | 18 |
| 19 | 19 | 19 | 19 |
| 20 | 20 | 20 | 20 |
| 21 | 21 | 21 | 21 |
| 22 | 22 | 22 | 22 |
| 23 | 23 | 23 | 23 |
| 24 | 24 | 24 | 24 |
| 25 | 25 | 25 | 25 |
| 26 | 26 | 26 | 26 |
| 27 | 27 | 27 | 27 |
| 28 | 28 | 28 | 28 |
| 29 | 29 | 29 | 29 |
| 30 | 30 | 30 | 30 |
| 31 | 31 | 31 | 31 |
| 32 | 32 | 32 | 32 |
| 33 | 33 | 33 | 33 |
| 34 | 34 | 34 | 34 |
| 35 | 35 | 35 | 35 |
| 36 | 36 | 36 | 36 |
| 37 | 37 | 37 | 37 |
| 38 | 38 | 38 | 38 |
| 39 | 39 | 39 | 39 |
| 40 | 40 | 40 | 40 |
| 41 | 41 | 41 | 41 |
| 42 | 42 | 42 | 42 |
| 43 | 43 | 43 | 43 |
| 44 | 44 | 44 | 44 |
| 45 | 45 | 45 | 45 |
| 46 | 46 | 46 | 46 |
| 47 | 47 | 47 | 47 |
| 48 | 48 | 48 | 48 |
| 49 | 49 | 49 | 49 |
| 50 | 50 | 50 | 50 |
| 51 | 51 | 51 | 51 |
| 52 | 52 | 52 | 52 |
| 53 | 53 | 53 | 53 |
| 54 | 54 | 54 | 54 |
| 55 | 55 | 55 | 55 |
| 56 | 56 | 56 | 56 |
| 57 | 57 | 57 | 57 |
| 58 | 58 | 58 | 58 |
| 59 | 59 | 59 | 59 |
| 60 | 60 | 60 | 60 |
| 61 | 61 | 61 | 61 |
| 62 | 62 | 62 | 62 |
| 63 | 63 | 63 | 63 |
| 64 | 64 | 64 | 64 |
| 65 | 65 | 65 | 65 |
| 66 | 66 | 66 | 66 |
| 67 | 67 | 67 | 67 |
| 68 | 68 | 68 | 68 |
| 69 | 69 | 69 | 69 |
| 70 | 70 | 70 | 70 |
| 71 | 71 | 71 | 71 |
| 72 | 72 | 72 | 72 |
| 73 | 73 | 73 | 73 |
| 74 | 74 | 74 | 74 |
| 75 | 75 | 75 | 75 |
| 76 | 76 | 76 | 76 |
| 77 | 77 | 77 | 77 |
| 78 | 78 | 78 | 78 |
| 79 | 79 | 79 | 79 |
| 80 | 80 | 80 | 80 |
| 81 | 81 | 81 | 81 |
| 82 | 82 | 82 | 82 |
| 83 | 83 | 83 | 83 |
| 84 | 84 | 84 | 84 |
| 85 | 85 | 85 | 85 |
| 86 | 86 | 86 | 86 |
| 87 | 87 | 87 | 87 |
| 88 | 88 | 88 | 88 |
| 89 | 89 | 89 | 89 |
| 90 | 90 | 90 | 90 |
| 91 | 91 | 91 | 91 |
| 92 | 92 | 92 | 92 |
| 93 | 93 | 93 | 93 |
| 94 | 94 | 94 | 94 |
| 95 | 95 | 95 | 95 |
| 96 | 96 | 96 | 96 |
| 97 | 97 | 97 | 97 |
| 98 | 98 | 98 | 98 |
| 99 | 99 | 99 | 99 |
| 100 | 100 | 100 | 100 |




2
7
6
F
T





37 ⁷⁷
h, 77

X 2209 350




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



P
C
E T

